



## **Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo**

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

**Tonduti, Pierre François de**

**Lugduni, 1683**

Cap. LXXVIII. Confirmatur materia capitis præcedentis de nullitate professionis, propter annum novitiatus interruptum: & agitur de professione emissa ex causa metus reverentialis. De tacita ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

# Quaest. & Resol. benefic. Cap. LXXVIII. 131



## CAPUT LXXVIII.

Continuatur materia capitis praecedentis de nullitate professionis propter annum novitatus interruptum: & agitur de professione emissâ ex causa metus reverentialis. De tacita professionis ratificatione. De reclamatione intra quinquennium. Et utrùm liceat propria auctoritate recedere, quando professio est nulla: & sic matrimonium postea contractum sit validum. Quid si professus admittus fuerit ad religionem in alio conventu, postquam rejectus fuerat à capitulo conventus illius loci, in quo novitatum fecerat: utrùm talis professio nulla sit.

## SUMMARIUM.

- 1 Non solum annus novitatus debet esse continuus, sed etiam tempus quo differtur professio post elapsum novitatus annum.
- 2 Interruptio modica post completum novitatus annum non nocet, dummodo habitus non fuerit dimissus.
- 3 Quilibet modica interruptio intra annum novitatus, reddit professionem nullam.
- 4 Interruptio aliquot horarum post finitum novitatus annum non nocet, si habitus non fuerit dimissus animo deserendi religionem.
- 5 Interruptio post finitum novitatus annum, cum dimissione habitus facta animo exiendi à religione, reddit professionem nullam, etiam si modicum intervallum.
- 6 Interruptio facta retento habitu, sed animo deliberato deserendi religionem, nocet professioni.
- 7 Modicum intervallum interruptionis nocet religioni professioni, si eo tempore notabilis morum correctio intervenire potuit.
- 8 Privilegia quibusdam religiosis concessa, quibus permittitur conjungere tempora novitatus interrupti, sunt sublata per Concilium Tridentinum.
- 9 Metus solus reverentialis non annullat professionem, nisi etiam simul intervenerit coactio.
- 10 Renovatio votorum, qua vitiosum habuerunt initium, non reddit professionem validam, nisi ratificans, seu renovans habuerit notitiam nullitatis professionis.
- 11 Reclamatio adversus professionem intra quinquennium, sub quibus conditionibus suffragetur.
- 12 Si professus certo sciat professionem suam esse nullam, poterit in foro conscientia recedere à religione propria auctoritate.
- 13 Qui scit professionem suam esse nullam, potest in foro conscientia matrimonium absque dispensatione contrahere.
- 14 De reclamatione intra quinquennium, adversus professionem, qui DD. tractant. Remissivè.
- 15 Receptio novitatorum ad professionem non pertinet solum ad superiorem conventus, sed copulativè ad ipsum, & ad capitulum.
- 16 Vota capitulanti, dum tractatur de admissione

ad

- fito, annum scilicet probationis fuisse interruptum; & nihilominus ex ejusdem sententiae lectura constaret de contrario, supponendo novitatum potuisse compleri ante 16. annum, ut mox dictum est: rectè conclusum, & in gradu appellationis judicatum
- 18 fuit, sententiam injustam fuisse, & nullam, uti ex falsa causa latam: l. 2. Cod. quando provoc. non est necess. Oportet enim sententiam sub falso fundamento pronunciatam, fuisse latam sine causa cognitione, & sic nullam: l. 2. Cod. de sentent. ex brev. recitand. Galganet. de condit. & demonst. part. 2. cap. 4. quest. 5. num. 5.
- 19 Sed si probatum fuisset, professionem emissam fuisse non expectato novitatus anno, sine dubio nulla, & invalida declaranda fuisset: imò nulla esset ipso jure, adeo ut non esset opus nullitatis causas proponere coram Ordinario, & Superiore regulari, servata forma Concilii: ut tradit Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 37. num. 11. & quod professus, non expectato novitatus anno, possit ad saeculum redire, probatur in cap. 1. de regul. in 6. & tradit idem Sanch. in praecep. decal. tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 103. ubi dicit talem professionem omni prorsus obligandi vi destitui, peinde ac si facta non esset: adeo ut nequidem valeat tanquam simplex votum. Idem tenuit Mirand. in manual. praelatorum regul. part. 2. quest. 22. de novitiis, art. 8. & ubi ostendit moniales intra annum probationis, nulla etiam petita licentia, posse liberè ad saeculum redire: & egrediendo etiam sine licentia, non incurrere aliquam irregularitatem ad ordines, vel ad beneficia Ecclesiastica, sive saecularia, sive regularia, cap. postulat. de regul. Emanuel
- 20 Roderic. quest. regul. tom. 3. quest. 17. art. 5. & ubi dicit, quod licet questio sit disputabilis, si juris apices consideremus; tamen audenti dispositione Concilii Trident. sess. 25. de regul. cap. 15. certum est, professionem hanc emissam ante lapsum annum novitatus, esse ipso jure nullam: neque opus esse, ut proferatur aliqua sententia declaratoria nullitatis: quia cum tempus sit de forma, non servato tempore requisito, professio irrita manet ipso jure, absque alia sententia, vel declaratione.
- 21 Et hæc adeo vera sunt, ut si tempore probationis deficerent duae duntaxat horae, ad complendum annum novitatus, nulla esset ipsa professio, ut fuit declaratum per sacram Congregationem Concilii, teste Barbof. in decis. Apostolic. cap. 6. 12. num. 7. & de jure Eccles. univers. lib. 1. cap. 42. num. 1; 9.
- 22 Limitantur tamen supradicta, ut non procedant, quando quis ex voto antea emissio tenetur ingredi, & profiteri in religione: quia valida est illius professio facta ante completum novitatus annum; vel etiam ante completum annum decimum sextum: ut dicit Barbof. de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 101. num. 14. Quod si verum est, magna est cautela ad eludendam intentionem Concilii Tridentini; & ideo si casus occurreret, maturius cogitandum existimarem: quia vovens profiteri, non obligatur ad proficendum, nisi servata forma juris: & sic tempore habili, & à jure requisito.
- 23 Advertendum tamen ultimo loco, quod licet supra dictum fuerit, cognitionem nullitatis professionis spectare ad Ordinarium, & Superiorem regularem conjunctim; tamen Ordinarius absque alia commissione poterit professionem nullam declarare, si ante completum decimum sextum ætatis annum emissâ fuerit: ex Barbof. de offic. & potest. Episc. d. alleg. 101. num. 1.

- ad professionem, non solum sunt consultiva, sed etiam decisiva.
- 17 In receptione novitiorum ad professionem, adhibendus est consensus conventus, in quo novitius pro majori anni parte in novitatu permansit.
- 18 Informatio, quæ pro forma requirebatur ex constitutione Sixti V. in receptione ad professionem, sublata est per constitutionem Clementis VIII. & in quo consistat.
- 19 Religiosus, cujus professio nulla est, si illam ratificare velit, non indiget novo anno probationis; sed anteaclus novitiatus sufficit.

**T**ransmissum ad me fuit factum pro veritate decidendum, ut sequitur. Adolescens quidam zelo pietatis ductus religionem ingressus est: practoque novitatus anno, cum ejus professio ad modicum dilata fuisset, poenitentia ductus habitum dimisit, & a Superiore regulari ad domum paternam deductus: fratribus paternis acquiescens, & ad monasterium rediit, habitumque secularum iterum dimisit, & veste religiosa recepta, facto sui recessus trium vel quatuor horarum intervallo, concordibus religiosorum votis, ad professionem admixtus est, illamque in effectu emisit; quam singulis annis juxta ejusdem religionis consuetudinem renovavit: tandemque post decimum tertium a sua professione annum, propria autoritate à religione recessit, sub eo præterito quod illa professio vitio nullitatis corruerit. In jus vocatus, condemnatus fuit per Officium Parisiensem, cui subditus est, ut ad Monasterium rediret; ipse tamen nullam aliam quam propriæ conscientię auctoritatem allegans, matrimonium contuixit; asserens se intra quinquennium reclamasse, paternoque metu impulsus fuisse, ut ad religionem rediret; & consequenter professionem nullam esse, maxime quia interrupto novitatus anno facta fuerat. Ex qua facti serie, sequentes resultabant decidendæ quæstiones.

Prima, utrum professio sit nulla, propter illam  
triun aut quatuor horarum interruptionem.

Secunda, utrùm saltem ex causa metus reverentialis, professio annullari possit.

Tertia, utrū in omnem eventum, per votorum renunciationem professio ratificata censeatur.

Quarta, utrùm reclamatio intra quinquennium facta, possit reclamanti prodesse.

Quinta, utrum religiosus ille potuerit propria  
authoritate recedere, & utrum Monasterium sit re-  
integrandum.

Pro quarum quæstionum resolutione sequentes  
propositæ fuerunt conclusiones.

- 1 Prima conclusio. Annus novitiatus non solum debet esse continuus, per ea quæ diximus *cap. præcedenti, num. 14.* verum etiam tempus quod aliquando novitiis indulgetur post finitum novitiatus annum atquequam professionem emitant, continuus esse debet absque aliqua interruptione: ita ut si completo novitiatus anno, quis egrederetur, & postea rediret, teneretur novitiatus inchoare & perficere de novo, secundum opinionem plurimum Doctorum, quos citat & sequitur Tamburini. *de iure Abbat. tom. 3. dist. 6. quæst. 11. num. 16. & 17. & quæst. 7. num. 15.*
- 2 † Sed hæc Tamburini, & aliorum sententia mihi non aridet: quia sufficit novitium per integrum annum religionis austeritates expertum fuisse: ut docet Sanch. *in præcept. decalog. lib. 5. cap. 4. num. 34.* Bonacina *de clausura, punct. 10. difficul. 2. §. 2. num. 4.* Emanuel. Roderic. *tom. 3. quæst. regul. quæst. 15. art. 10.* & post Mirandam diximus *cap. præced. num. 17.* In-

tellige, non dimisso habitu, ut mox dicemus & supponit *ibidem* Miranda.

Secunda conclusio. Interruptio modici temporis intra annum novitatus, reddit professionem postea factam nullam & invalidam, propter defectum forme ad novitatum requisita, ut cum aliis notavit Sanch. in præcep. decalog. lib. 5. cap. 4. num. 32.

Tertia conclusio. Quæ supra <sup>11. m.</sup> dicta sunt de eo qui exit è monasterio, post finitum novitatus annum, & postea redit: Intelligenda sunt, quando talis exiens non dimisit habitum religiosum: sed si in habitum dimiserit, & habitum iterum post aliquot heretice acceperit, major est difficultas: in qua statuendum est, quod si habitus dimissio facta fuerit absque intentione recedendi à religione, & eam deferendi, talis interruptio aliquot horarum non induceret aliquam interruptionem considerabilem. Sanch. 2. in decalog. d. lib. 5. cap. 4. <sup>11. m.</sup> 33.

Sed quia in casu proposito, dimissio habitus fa-  
cta fuerat animo & intentione descendendi religionem,  
& conuolandi ad saeculum, variæ etiam sunt hoc casu  
Doctores sentientes; sed verius videtur professio-  
nem, post huiusmodi interruptionem cum dimisso  
habitu factam, nullam esse; & novitiatum iterum  
inchoandum, si talis profecti desideret, ut tenent  
Navarr. Galen. & alii, quos citat & sequitur Balth.  
*de iure Eccles. univers. lib. 1. cap. 4. 2. num. 124.* 7. h. i.  
idem Author, num. 128. existimavit, si exiit a per-  
nasterio fuisse factus retento habitu, iuxta per  
tradita sup. num. 2. tamen si ex circumstantiis co-  
posset illum recessum fuisse factum animo, & po-  
posset deliberato non amplius redeundi; si postea  
revertatur, non esse admittendum ad professionem,  
nisi peracto integro de novo anno novitiatu. Cuius  
etiam sententia fuit Tamburin. *locis nec citat,*  
nempe tom. 3. de iur. Abbatis, diff. 6. quest. 7. num. 120.  
quest. 11. num. 16.

Neque Doctores in contrarium allegati, nec ipsi, dum diximus modicum interruptionem non obesse; intelligendi sunt de eo qui ex illis fuit animo religionem omnino deferendi, cum populum deliberato. Quia si adesset tale populum, et hanc intentionem, non esset satisfactum iuribus requiritur annum novitatus esse sine interruptione consecrata ut novitius, in statu probationis tunc ad professionem persistat: nam mutando populum, totaliter fundamentum mutat iudicii super ipsius pacitate per capitulum faciendi: quia iuxta modum temporis intervallo, notabili morum mutatione contingere potest: propterea etiam moraliter loquendo, nova probatione indiget: quod pluribus rationibus comprobatur Suarez de religio. cum. 3. lib. 1. cap. 15. num. 8. 9. & 10.

Neque privilegia Pontificia ante Concilium concessa suffragantur novitiis, aut aliter non profectis, post habitus defectionem redire volentibusque, si prius ex integro novitiatum perficere teneantur, nisi privilegia illa fuerint per Concilium Tridentinum quaest; ut testatur Mirand. in *manual. Pral. regul. lib. 2. tit. 2. art. 4. in fin.* Licet in hoc dubius sit Less. in *summa regul. lib. 1. cap. 2. num. 11.*

Quarta conclusio. Solus metus reverentiam  
annullat professionem, nisi etiam interveniat coactio.  
Probat in cap. final. & ibi Gloss. in *verbo* *coactio*.  
cleric. vel *coercent*. quam glossam ibidem Abbas in  
dicit esse fingularem, & in cap. *puela* 10. *de*  
ibi, *coacte imperio parentum*. Ubi textus aliter  
tum reverentiam exigit coactionem parentum  
hoc ut professio nulla delectetur; & ibi *disputa* 4.  
probat Sanch. *de matrimonio*. lib. 4. *disputa* 6. *quæ*

# Quæst. & Resol. benefic. Cap. LXXVIII. 133

num. 17. & seq. ubi plures Doctorum auctoritates allegat: nisi tamen alia concurrant, veluti minæ, verbera, preces nimis importunæ, & similia vim coactionis habentia.

10 Quinta conclusio. Renovatio votorum, quæ vitiosum habuerunt initium, nunquam reddit validam professionem nulliter factam, quando ille qui ratificavit, ignorabat nullitatem primæ professionis. Rot. decis. 40. num. 13. part. 6. recent. post Navar. consil. 44. part. 1. lib. 3. de regul. Barbat. consil. 60. num. 3. versic. præterea, lib. 1. cum ex notissimis juris regulis, consensus ad ignorata trahi non possit.

11 Sexta conclusio. Sola reclamatio intra quinquennium non sufficit; sed tria copulativè debent concurrere, ut professio nulla, solemniter & legitimè declaratur. Prima, quod intra quinquennium reclamatum fuerit, aut saltem obtemperatio restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii. Secunda, quod professus reclamans, nullitatis causas coram Superiore suo, & Episcopo loci ordinario proposuerit. Tertia, quod habitum regularem non dimiserit auctoritate propria, imò non assumpto habitu audiri non potest: quia religio, quæ fuit spoliata, debet in primis & ante omnia reintegrari. Quæ tria requisita, sunt essentialia; & non possunt per æquipollens adimpleri, ut notavit Zerola in praxi Episcopali, part. 1. in verb. professio, versic. sexto.

12 Septima conclusio. Si nulliter professus iustas habet nullitatis suæ professionis causas, poterit transacto quocumque tempore, dum professionem suam non ratificavit (cessante tamen scandalo) propriâ auctoritate recedere à monasterio, quoad forum interius; & erit tutus in conscientia, neque tenebitur observare in foro interiori tria illa requisita, de quibus in præcedenti conclusione: ut probat

13 Gratian. discept. forens. cap. 413. num. 12. & Unde matrimonium tutâ conscientia contrahere poterit, si certo sciat suam professionem nullam esse: quia in foro interiori, nullo vinculo adstrictus est religioni. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 37. num. 11. post Navarum, & alios ibidem allegatos.

14 Plura de hac reclamatione adversus professionem intra quinquennium faciendam, tradunt Barbof. de offic. Episcop. part. 3. allegat. 104. num. 3. Concil. Trident. sess. 25. de regul. cap. 19. Ricci. in prax. aur. decis. 657. Conrad. de dispensat. lib. 5. cap. 14. num. 16. & 17. Tamburin. de jur. Abbat. tom. 3. quest. 6. disp. 25. num. 11. Burat. decis. 285. num. 26. Sanchez de matrim. lib. 7. cap. 37. num. 22. Mirand. in manual. part. 1. quest. 30. art. 1. Hieronym. Roderic. quest. regul. resol. 101. num. 71. Barbosa iterum de jur. Eccles. lib. 1. cap. 42. num. 105. & seq.

Octava conclusio continet casum particularem, qui successit in presenti civitate Avenionensi, in persona cujusdam religiosi ordinis Minorum: cuius professio fuit declarata nulla: sed tamen post talem declarationem, ipse zelo pietatis ductus illam ratificavit. Habitus illi fuerat datus anno 1634. die 18. Junii, in conventu Aquis, quo suscepto, se transtulit ad novitium in civitate Massiliensi stabilitum, ubi capitulo ejusdem conventus legitimè congregato, conclusum fuit, eundem novitium dimittendum, propter varias & continuas infirmitates quibus detinebatur: dictaque conclusio quibus opus erat intimata. Restabat trimestre ad complendum novitiatus annum, quem ex Superiorum mandato, qui conclusionem Massiliensem non ignorabant, in civitate Avenionensi compleverat: ubi tandem fuit ad professionem admissus. Dixi profes-

Tom. I. Pars I.

sionem nullam esse. Quia licet alias disputatum fuerit, utrum admissio religiosorum ad profectum, ad solum Prælatum regularem spectaret: hodie tamen sine controversia hoc observatur, ut nec Prælati sine capitulo, nec capitulum sine Prælati novitios ad professionem admittere queat. Cum enim agatur de contractu ultro citroque obligatorio, per quem religiosus conventui, & vicissim conventus religioso obligatur: consequens est, ut utriusque consensus in tali receptione requiratur. Glor. in cap. porrectum, in verb. non faciat, de regularib. Sanchez in precept. decal. lib. 5. cap. 4. num. 65. Barbof. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 42. num. 146. cum pluribus per eum citatis: atque ita observari, & praticari testatur Tamburin. de jur. Abbatum, tom. 3. disp. 6. quest. 15. num. 7. & ubi dicit vota religiosorum capitulantium, non solum esse consultiva, sed etiam deliberativa & decisiva; atque ita ad validitatem professionis requiri consensum capituli. Unde cum in casu proposito non intervenisset capituli consensus; imò dissensus: sequebatur illam professionem irritam esse.

Conventus autem Massiliensis, in quo religiosus iste pro majori anni parte novitiatus fecerat, tanquam melius de novitii qualitatibus informatus, habebat sine dubio votum decisivum in receptione novitii ad professionem: ut notat Hieron. Roderic. in quest. regul. resol. 101. num. 59. ubi requiritur consensus majoris partis conventus, in quo novitiatus educatus fuit.

Accedit, quod cum capitulum Avenionense deliberasset capiendas prius esse à Medicis informationes super statu sanitatis hujus religiosi; hoc non fuerat observatum, & sic professio nulla erat ex defectu debite informationis. Quia licet informatio à Sixto V. præscripta sublata fuerit; alia tamen à Clemente VIII. fuit introducta, quæ necessariò observanda est: nempe ut aliquis religiosus ad id specialiter deputatus, debitas informationes capiat. Quod si factum fuisset, veritas à religiosis Massiliensibus, & à Medicis, aliisque personis habita fuisset super hujus religiosi infirmitatibus, quæ illum ad regulam observandam inhabilem reddebant: ex cuius informationis defectu, professio nulla reddidit. Mirand. de prælat. regul. tom. 1. quest. 21. art. 1. Hieronym. Roderic. dist. resol. 101. num. 4. Portel. in dub. regul. in verb. novitius, & in verb. novitiarum informationes. Et patet ex tenore dictæ Bullæ Clementis VIII. quæ inferitur apud Tamburin. de jur. Abbat. tom. 3. quest. 10. art. 1. Sed ut dictum est, quamvis illa professio fuerit declarata invalida: tamen religiosus ille maluit vitam salutarem amplecti, & primum propositum renovavit, omnique nullitati renunciavit, & adhuc in illo ordine perseverat. Neque fuit opus novo anno novitiatus, quia per eum, qui antea factus est, satisfactum fuit intentioni Ecclesiæ. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 37. num. 45. & post ipsum Lezana in summa quest. regul. tom. 1. cap. 2. num. 9.

M

CAPVT